

LADISLAI NAGY
DE PERETSEN
ORODIAS

LADISLAI NAGY
DE PERETSEN,
NOBILIS HUNG. MAGNO-VARADINENSIS,
COMITATUS ARADINENSIS
IURATI ADSESSORIS,
ET
DUCALIS MINERALOGICÆ SOCIETATIS
IENENSIS SODALIS
ORODIAS.

LIBER PRIMUS.



MAGNO-VARADINI,
Typis, et Sumptibus Antonii Gottlieb
Alaramarosiensis. 1804.

✻ ✻

C O R O N I S
PARTIS SECUNDAE
O R O D I A D I S.

E L E G I A XXV.

Nobilis Transilvani, GEORGI SINKAI de Eadem, AA. LL. Philos. et SS. Theol. Doctoris Romani, in Magno Transilvaniae Principatu Scholarum Vernacularum Valachico-Catholicarum Emeriti Directoris, data ad Auctorem ORODIADIS, Magno-Varadino ipso Festo die S. Michaelis Archangeli A. 1803. ex Episcopali Darabanthiano Tusculano.

Nomine non solo, (ut quidam,) sed, Magne Poesi
Vir Latia, et Patria! Vir deamate mihi!
Quis sim, qui, exemplo multorum, facta Bonorum
Canto Elegiaco Carmine, forte rogas?
Inque his Te quoque quod iubeam salvere Poetam
Percelebrem ignotus, Res Tibi nonne nova?
Ille ego sum, cuius generavit *Sinka* (1) Parentes:
Exornat quorum Cera vetusta Lares.
Nutriit in Studiis primum me Musa *Szabédi*; (2)
Sámsondina dein Patria cara mihi. (3)
Nutriit *Agropolis* (4) gemina me postea melle,
Claudiaci (5) unde peto docta Lycoea fori.

Hic ego deliciis Phoebi confuescere primum
Coepti, et Parnassi scandere laeta iuga.

Bisfricium (6) hinc migrans Ciceronis in arte
diserta

Ingenium placuit percoluisse mihi.

Inde *Balassalam* (7) docturus tendo inventam
Annum, quo lapsa, *Roma* videnda fuit

Transegi *Romae* lustrum, quo tempore dignus
Lauris quum fuerim, *Laurca* bina data est. (8)

In Studiis (fateor gratus,) me *Roma* iuvabat:
Omnis enim patuit *Bibliotheca* mihi. (9)

Dum patuit, multis e Libris multa notavi: (10)
Cuius erat STEPHANUS BORGIA! causa

rei. (11)

Cum Doctis solitus consummere tempora semper,
Quos aditare mihi is, iussit et esse duces.

Urbe redux annum iubeor remanere *Viennae*,
Natalis Socio regna petente Soli. (12)

Hic *Methodum* (13) didici, Canones, et Iura
(14) per annum,

Et sum scrutatus plurima Scripta manu.

Hic mandata typis legi noctuque, diuque,
Historiam ut Dacicam condepe rite queam.

Cornides (15) exacuit stimulis, *Benkò* (16)
atque *Garampi* (17)

Fautoremque egit quisque patrocinio.

Adstitit his cunctis mihi plus DARABANTHIUS
(18) unus,

Romam mittendi maxima Cura mei.

In Patriam rednci pariter non defuit unquam:
Nunc etiam egressum protegit, atque fovet.

Cui Deus idcirco, precor, addat Nestoris annos,
Maxima et in coelis Praemia sero ferat. —

Ad Patriam rediens, referam nunc, quae bene feci
Pro cultu Gentis, proque decore meae.

Principia edideram: (19) vulgaram *Gramma-*
ta: (20) quin et

Alphabeta duo, qualia *Norma* (21) tenet.

Doctrinam Christi (22) deduxi fufus, unquam
Quam fuerit Valachis traditus iste Liber.

Deerat *Ars* patriis *Numerandi* (23) recta Pa-
lèstris:

Hanc etiam studui progenerare novam.

Ter peragranda fuit mihi *Transilvania* tota
IOSEPHI iussu Regis Apostolici.

Ter peragratus eam, pro Linguae, et Gentis
honore,

In Valachis statui Commoda multa Scholis.
Quas modo non augere, ast una reddere firmas

Per bis sex hiemes maxima Cura fuit. (23)

His exantlatis, consecratisque Saluti

Communi, cogor pessima quaeque pati.

Quid? quod et a Studiis cogor secedere nostris,

Et colere ingenio rura aliena meo. (24)

Namque, dolor! terris erepto Rege IOSEPHO,
 Qui, pol! perpetuo vivere dignus erat.
 Primum Theutonicae mandant primordia Linguae
 Ne doceam; audacter dura minando mihi.
 Tum fictas Causas, — et qui me perdere possint,
 Quacrunt! — propitij sed vetuere Poli.
 His, aliisque malis vexatus, Munere gesto
 Insons exutus, praesidioque carens,
 Historiam quondam caeptam exarare refumo, (23)
 Quam nequii ob fatum continuare prius.
 Hungariaeque mihi cum Spes magna esset in oris
 Volvendi Libros, Scriptaque prisca *Manu*,
 Musarum Studiis florentem commigro *Vardam*,
 Fautores plures quae fovet alma mihi.
 Hic ego dum veteres pro more saluto Patronos,
 Praesulis IGNATI (24) devenerorque Lares.
 Devenerorque hospes *Canonis* de nomine dicti (25).
 Concilii Graeci limina amica mihi:
 Accedo plures demum, quos contigit olim
 Novisse in Populo, ac Nobilitate mihi.
 Hic etenim crebri florent, non Stemmata solum:
 Ast etiam illustres Pallade utraque Viri.
 Praecipuos inter primus mihi aditur Amicos,
 TERTINA, Regalis Gloria rara Scholae!
 Quem mihi falsa tulit moerenti Fama supremum
 Ante duos annos oppetiisse diem:
 Ecce! hunc Incolamem complector; maxima lacto
 Gaudia propterea Corde movente meo.

Scilicet Ille! Tuo dignus quoque TERTINA
 plectro

Nuper Apollineo, magne Poeta, coli;
 Est cui dicta Salus a nostrae plurima Terrae
 Luminibus doctis, ore relata meo.
 Et cuius merito trans Glyvas Patria fusa,
 In magno aestimio nobile Nomen habet.
 Scire cupis nostri metam Sermonis, et orsum?
 Plurima de Rebus dicta fuere novis.
 Sermo fuit Studiis de Bellis, atque Magistris,
 Quantum haec, atque illos extera Regna colant.
 Quam *Bavarus* Doctis, et *Ruffus* pingue Minerval
 Attribuat Sortis cum meliore Statu.
 Et quam magna *Boruffus* agat cum *Consule*
Primo

Gallorum; vigeat Cultus ut Aonidum.
 Nostra simul dubii nova Fata expendimus, aevo
 Hoc quaeis tam recte culta Inventa fuit. —
 Sed mox ad Vatum Versus, et Scripta reverfis,
 Tu fueras nobis maxima Materies.
 Ille mihi, ut vidit, modulamina Vestra probari,
 Edita plura deo Carmina Vestra dedit.
 Legi Elegos hilaris, quaeis VALYI, PRAYque
 canuntur:

Et quibus ornatur *Csanadiense* Pedum.
 Legi etiam *Lessum*, quo flecti funera magni
 GVADANYI Herois, Vatis et egregil.



Nec potui nostrae moderari, crede, Camoenas,
 Quin recolat Nomen relligiosa Tuum.
 Seque Tibi notam reddat Pietate calenti,
 Ingenium gessit qua celebrare Tuum.
 Quumque peregrinus caream charta, calamoque,
 Haec mihi mox offert TERTINA, noster Amor!
 Cuius Amicitia docta uti ut Gloria magna
 Est mihi: sic Vobis est specialis Honor.
 Quotidie urbanos Illius viso Penates,
 Excipior dulci semper et alloquio.
 Doctior et redeo semper satiatus opima
 Doctrina, ex huius quae fuit ore Viri.
 Quaeque mihi tanto potior, quod Pectora prodat
 Lacte, et Rhyphaea candidiora nive.
 Atque ubi detexi me Gentis texere nostrae
 A multis annis latius Historiam,
 Suppetiasque simul petii, pretiosa Supellex
 Librorum illius quas mihi ferre potest. (26)
 Continuo facilis, promptusque Volumina rara
 Nondum visa mihi plurima nota facit.
 Iconibus, Nummis, Libris, Scriptisque locuples,
 Quae decorata nitet Bibliotheca sua.
 Obsupui fugientia tot Monumenta vetustis
 De Patriae Rebus conglomerasse Virum.
 Omnia quae pretii sunt cari, ingentis et usus
 (Cognita si fiant) pluribus illa forent.
 Uabus illa meis doctus Possessor, et Ipse
 Altera viva vovet Bibliotheca habens.



Quin crebro propria dignatur me quoque Mensa,
 Consiliisque bonis me relevare studet.
 Est haec immerito Cultori gratia facta,
 Gratibus immensis deveneranda mihi.
 Non minus illa etiam pergrata mente colenda,
 Reddiderit notum quod Tibi me, mihi Te!
 Atque ideo Lux haec Illius Nominis alma,
 Phoebæ fulgens splendidiore coma,
 Lactitiis amplis cunctorum culta Bonorum,
 Est etiam nostra concelebranda Cheli.
 O felix Fatum! tantum quod munere Divum
 Detinuit nobis, Hungariaeque Decus.
 Lembergæ fuerat si digna Zamoscia Voto, (27)
 Perpoliat pulchris TERTINA quam Studiis:
 Digna quoque est Nutrix dulcissima, *Vardia*
Magna,
 Pierii Coetus, talis honore Viri.
 Quae Tibi quod Mater sit, multum gratulor illi,
 Magnae Matris Honor, Magne Poeta, Tuæ!
 PANNONIOS IANOS non omnes abstulit Aetas
 Una: imo plures nostra remota dedit.
 TERTINA quos inter cum NAGYIDE vertice
 summo
 Castalii errabit tempus in omne Iugi.
 Atque utinam! plures Concordia duceret illuc,
 Pectoris expulsa sedibus Invidia.

Nec tantus Fastus, Contemptus, et atra Simultas
 Multorum premeret bilem, animumque trucem.
 Quid valet excultum Studiis dici! Indole vero
 Vulpibus esse parem, Tigridibusque feris?
 In Cultu doctis docti sunt: mox quoque Civis
 Pluris eos faciet, Nobilitasque potens. —
 Sed mage, quid voveam, petis? en! mea ma-

xima Vota

Audi; illi coram iam recitata Viro:

*De Cultu Hungaricæ, Meritissime TERTINA,
 Pubis!*

*Archi-que Vardenfis Curio Gymnasii.
 Olim qui pepulit de summis Daemones Astris,
 Protegat hic semper Teque, Tuamque Domum.
 Sim Tuus: esto meus: servet cum NAGYI.*

DE nostro

*Te Deus; et tribuat cuncta cupita Tibi.
 Vivat ALEXANDER Gnatus cum Matre!*


Parenti

*Par animo, ac ideo dignus ut alta petat.
 Tu quoque, Nominis alma Dies, per tempora
 longa*

*Incolumi redeas semper amoena Viro.
 Vivant! Hungariamque diu ornent TERTI-
 NA, NAGYque*

Carminibus, Meritis, Gloria, Honore sua!

- (1) In Fogarasiensi Transilvaniae Districtu duo existunt Pagi, quorum alter *O Sinka*, seu *Vetus Sinka*, alter *Uj-Sinka*, seu *Nova Sinka* appellatur. Ego ex priore duco meam originem, cuius pars potior olim aviticum Bonum erat Familiae nostrae. Posterior vero in proprio nostro Praedio conditus erat, uti hoc coram Ill. Statibus, et Ordinibus Transilvanis abunde probavi anno 1792. Me puero uterque *Primus Valachicae Legionis limitaneae* Militiae iuribus adscriptus est una cum aliis nostris, multorumque aliorum Possessionibus. Natus autem sum filio veteris die 28. Februarii, Anno 1754.
- (2) *Szabéd*, est frequens Sedes Sicularis *Maros* Pagus, a meris *Unitariis* inhabitatus. Huc primum a Parentibus missus fueram ad condiscendam Linguam Hungaricam; sed quia locus mihi non arridebat, non diu eiatem frequentavi Scholam.
- (3) In eadem Sede situs est cum late patente Agro suo vastissimus Pagus *Samsoná*, cultus Siculis iuxta, ac Valachis. Hic residens Pater meus non aviticam, sed pignoratitiam duntaxat quandam Portionem Nobilitarem possedit, sub cuius vigilantia et sollicitudine paterna paulo diutius Ludum Litterarium adivi.
- (4) *Agropolis*, seu *Maros-Vásárhelyinum* dictae Sedis Urbs Regia, et Libera, arce non ignobili ornata. Praebet ea sedem Tabulae Regiae Iudicariae Transilvanicae, Regio Romano-Catholico Gymnasio, et Illustri Reformatorum Collegio. Habet suo in gremio *Miáoritas*, et *Franciscanos*. Commendat se praeterea vehementer *Erudita Hungarica Societas*, cuius perpetuus Secretarius est celebris ille, ac veri nominis Polyhistor, D. GEORGIUS ARANKA de Zágon; et locupletissima praeterea *Bibliotheca Publica*, ab Excell. Dom. Cancellario, SAMUELE S. R. I. Comite TELEKI de Szék liberaliter erecta, donataque. In hac Urbe apud Reformatos prima Elementa Lingua-



rum Latinae, et Hungaricae non sine notabili progressu solidius excolere coepi, operam ad meam culturam plurimum tunc conferente, Viro doctissimo, Professore ALEXANDRO KOVÁSZNAI, qui quantus *Humanista* fuerit, serae etiam Posteritati non dabunt oblivioni Eius *Carmina Exoquialia*, et *Pauca* quaedam alius *Argumenti Trajecti Batavorum A. 1782.* typis expressa.

(5) *Agropoli*, auctore germano natu maiore *Fratre, Ioanne Sinkai*, (qui quae Centurio Incl. Secundae Legionis Valachicae limitaneae in Lörch ad Rhenum A. 1795, heroice viram cum morte commutavit,) translatus sui *Claudiopolim*, Urbem Regiam, Liberam, eamque Transilvaniae Metropolim ad Patres Societatis Iesu, a quibus in Seminarium S. Iosephi receptus, omnibus viribus contendit, ne mihi, per quadriennium beneficio Alumatus fruente, in Scholis Grammaticis, et Poetica Classe, quisquam frequentium aemulorum Primatus palmam praeciperet, quod plures superstites adhuc coaetanei condiscipuli hodie dum testari possunt.

(6) Iude propter studium Linguae Germanicae voluntate parentum transiit *Bisfricium*, Urbem Regiam, Liberamque Saxonum, ubi in Gymnasio Scholarum Piarum Rhetoricam absolvi.

(7) *Balaszalva*, Sedes Episcoporum Fogarasiensium, ad utriusque *Cicelli* amnis (*Nagy, et Kis Kékeltő*) confluxum condita, et respectu Comitatus Albensis Inferioris, ad quem pertinet, antequam *Cicelli* confluerent, sola est Iurisdictioni praedicti Comitatus trans *maiorem Cicellum* obnoxia. Hic vetus S. Blasii Vicus, hodie bifariam dividitur, in Pagum nempe, et contiguum Oppidum. Pagus Operas rusticas, Oppidum census praestat perpetuo terrestri hero loci Episcopo Graeco-Catholico. Pagus est antiquissimae, et obscurissimae originis. Oppidum regnante CAROLO VI. Augusto condidit, qui primus permutavit Dominium Balas-



falvense cum Ill. ac RR. D. *Innocentio Klein, L. Barone de Szád*, Episcopo Fogarasiensi pro *Alzo Szambatsalva*, et *Szamos Ujvár*. Duo praecipua sunt Balaszalvae aedificia, memoratu digna, Castellum utpote Episcopale, et Monasterium Patrum Basilicarum ad SS. Trinitatem. Illud ad pagum, hoc ad oppidum spectat. In Monasterio sunt Scholae publicae, in quod ego receptus, anno aetatis meae vicefimo Rhetoricam, et Poesim docere confestim iussus sum. Tam subito praeceteris Religiosis Coalumnis et Scamno ad Cathedram gravissimo Superiorum iudicio sublimatus!

(8) Dato unius anni Specimium Superiorum meorum unanimes suffragio, et decreto *Romae* mittendus decernor pro *Philosophia* biennio, *Theologia* vero triennio in *Collegio de Propaganda*, qua fundatus Alumnus, audienda, condiscendaque. Ibi, per quinquennium Studiis totus deditus, pro Coronide laborum meorum utriusque praedictae Facultatis Gradum suscepi, uti in Pargamena exaratum authenticum *Diploma* testatur, quod sequentis est tenoris:

IOSEPH MARIA TITULI S.
ALEXII S. R. E. PRESBITER CARD. CA-
STELLIUS, S. CONGR. DE PROP.
FIDE PRAEFECTUS.

Omnibus, et Singulis praesentes Nostras
Litteras inspecturis, visuris, atque
lecturis Salutem in Domino.

Sacrosancta Romana Ecclesia, quam Beatissimi Petrus Apostolorum Princeps, et Paulus Doctor Gentium suo sanguine fundarunt, ac sacris Instituti largiente Christo Domino edo-

cuerunt, ab ipsis initiis Fidei Christianae susceptae viros in gremio suo eductos, moribus, ac doctrinis imbutos, ac demum in Divina Sapia propectos ad disseminandum Verbum Dei in diversas Orbis partes mittere consuevit. Quod quidem et Evangelica voce: Pasce Agnos meos, pasce Oves meas &c. et exemplo S. Petri edocti Summi Pontifices per tot saecula disponente Domino salubriter, et pro Pastoralis suo munere egregie praestiterunt, ut Infideles ad Fidem Orthodoxam invitarent, et populos ab eadem aberrantes ad gregem Christi Domini reducerent. Hac ergo meditatione permotus fel: record: URBANUS VIII. cuius memoria sit in benedictione, Collegium Adolescentum ex variis Nationibus ad Fidem per universum terrarum, Orbem propagandam erexit: quod URBANUM a suo nomine appellavit, cuius Moderatoribus Autoritate Apostolica tribuit facultatem (prout in Litteris Erectionis, Institutionis, et Foundationis dicti Collegii per Eum editis sub Dat: Romae apud S. Mariam Maiorem Kal: Aug: Anno Incarn: Dni. MDCXXXVII Pontificatus sui Anno IV. plenius continetur,) illos, quos per debitum tempus in dicto Collegio studuisse, ac scientia, et moribus idoneos reperissent, ad Baccalaureatus, Licentiatucae Doctoratus, et Magisterii Gradus, servata forma Concilii Viennensis iuxta Universitatis Studiorum Almae Urbis consuetudinem, seu alias promovendi, ac solita ipsorum Graduum Insignia conferendi. Quandoque sic promoti omnibus, et singulis Gratis,

Favoribus, Praerogativis, et Indultis, quibus alii in praedictae Almae Urbis, seu alii Universitatibus, et alibi iuxta illius, et aliarum Universitatum huiusmodi Constitutiones ad Gradus praedictos promovendi de iure, vel Consuetudine quomodo libet potiuntur, fruuntur, et gaudent, uti, potiri, et gaudere possunt. Eandem vero Facultatem praedictis Collegii Moderatoribus, ut supra concessam, fel: rec: CLEMENS XIV. non solum benigne confirmavit, sed etiam extendit in peculiari Audientia habita per B. P. D. STEPHANUM BORGIA S. Congr.: a Secretis sub die XV. Martii Anno Dni. MDCCLXXII. Quamobrem quam Dilectus Nobis in Christo Dnus, GEORGIUS SINKAI de eadem, Nobilis Transylvanus, Ord: S. Basilii M. Religiosus Professor, eiusdem Collegii Alumnus per integrum cursum Philosophiae, ac Theologiae tam Dogmaticae, quam Scholasticae assiduis vigilis sedulam operam in Scholis Collegii URBANI impenderit, vitae, ac morum probitate, Christiana pietate, eruditione, ac doctrinis praeditus, idoneus repletus fuerit, volentes iuxta praedictarum Litterarum tenorem voluntatem tam URBANI VIII. quam CLEMENTIS XVI. Rom: Pontificum executioni mandare, assignavimus eidem Conclusiones ex Utraque Facultate: Quas hodie publice in praesentia R. P. D. STEPHANI BORGIA S. Congr.: a Secretis, et Celeberrimorum Theologiae, ac Philosophiae Professorum, et aliorum Celeberrimorum Virorum; ita docte, eleganter, ac copiose defendit declarando, e-



ruendo, omnes Conclusiones ex assignatis, ac comprobando, distinguendo, pro et contra arguendo, dubitationes proponendo, illasque dissolvendo, argumentisque primo Dni IOAN: CAROLI BONOMI Theologiae Polemicae Lectoris; deinde P. Fr. THOMAE MARIAE CERBONI in dicto Collegio Theologiae Scholasticae Lectoris; atque P. Dni AURELII LEONI Philosophiae Lectoris, aliorumque acute; ac Magistrali more respondendo, ut ab omnibus Utriusque Facultatis Doctoribus idoneus habitus, et aestimatus fuerit, qui unanimitate consensu, concorditer, pari voto, viva voce, vivisque Suffragiis, ac nemine penitus penitus discrepante Philosophiae, ac S. Theologiae Laurea Doctoratus dignus approbaretur. Quapropter R. P. D. STEPHANUS BORGIA S. Congr: a Secretis habita prius de dicto D. GEORG: GABRIELE SINKAI Fide Catholica, et Religione emissa per Eum in manibus eiusd. R. P. D. STEPHANI BORGIA ibid. publicae Fidei professione iuxta formam traditam a sel: PIO PAPA IV. ac iure iurando tactis corporaliter, et osculatis S. Dei Evangelis, desuper praesfito, consideratis moribus, scientia, ac virtutibus, quibus eundem D. G. GABRIELEM SINKAI Altissimus illustravit per Auctoritatem Apostolicam memoratum D. G. GABRIELEM SINKAI uti benemeritum, dignum, sufficientem, et idoneum in Philosophia, et S. Theologia Doctorem, ac Magistrum creavit, fecit, solemniter pronuntiavit, et ordinavit ita, ut in futurum omnibus, et singulis Indultis, Exemptionibus, et Privile-



giis, Favoribus, Praeeminentiis, Dignitatibus, et Honoribus, quibus alii sic promoti tam in Urbe, quam in totius Orbis Universitatibus Utriusque Facultatis Magistri, et Doctores de iure, ac consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, et gaudent, uti, potiri, et gaudere possit, et debeat. Dans praeterea, et concedens Ei Licentiam, ac liberam Facultatem, et Auctoritatem Legendi, Docendi, Glossandi, Interpretandi, ac Magistralem Cathedram ascendendi, similiter alios omnes, et singulos Actus Magistrales publice, et privatim exercendi prout Sibi placuerit, et videbitur. Atque ad absolutionem gestorum huiusmodi solita Doctoratus Insignia eidem D. GEORGIO GABRIELI SINKAI contulit, et Annulum eius digito Annulari, et Biretum capiti pro Corona imposuit, Libros clausos, et apertos mox in manibus tradidit, ac Ipsum denique induxit in Cathedram Magistrali, et collocavit, ut intellexeret, Se inter Utriusque Facultatis Doctores admissam, et receptum fuisse: prout ad Osculum fraternum a singulis Magistris, ac Doctoribus ibidem praesentibus admissus, atque receptus fuit ad Laudem, et Gloriam Omnipotentis Dei, et Salvatoris Nostri Iesu Christi. Amen. In quorum fidem, et testimonium praemissorum Praesentes fieri, et Nostri manu subscriptas Sigilli Nostri, quo in talibus utimur, iussimus adpensione muniti. Datum Romae in Collegio Urbano de Propaganda Fide. Die XXVIII. Mensis Ianuarii

Anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi
MDCCLXXXIX. Pontificatus Sanctissimi Domini
Nostri PII Divina Providentia VI. Anno IV.

Joseph, Maria Card. Castelli
Praefectus m. p.

S. Borgia
Secret. m. p.

Sigillum est pendens e duplici zona rubro-viridi fericea; infusum, impressumque Capsae maiori aeneae, referens Christum Dominum post Resurrectionem cum erecto Vexillo Rantem, et Apostolos duodecim iubentem ubique Evangelium praedicare, cum hac, peripheriam internam ambiente sententia: EVNTEŠ IN VNIVERSVM MVND, PRAED. EVANGEL. OMN. CREAT.

(9) Et quidem 1.) Bibliotheca Vaticana. 2.) Bibliotheca vulgo: *Sopra la Minerva*, 3.) Bibliotheca ad *Araceli*. 4.) Bibliotheca *Beneditina*. 5.) Bibliotheca *Collegii de Propaganda*, cuius sat longo tempore sui Custos.

(10) Enotavi autem praepriis ea ex MSS. Codicibus, quae ad adparandam *Historiam Duon-Romanam*, sive *Valachioam* faciunt, cuius tunc fundamenta a me iacta sunt solidissima.

(11) Eminentissimus Princeps, et S. R. E. Cardinalis STEPHANUS BORGIA, id temporis, quo Romae studii, erat a Secretis S. Congregationis de Propaganda, meque tanta benignitate completi dignatus est, ut nedum facultatem mihi a beatae memoriae SSmo PIO VI. Summo Pontifice impetraverit omnes Libros legendi, omnesque Bibliothecas perlustrandi, et consulendi: sed etiam proprio aere erudium quendam Presbiterum conduxerit, qui me hospitem, et peregrinum omni, quo animus ferebat, tempore per Bibliothecas Romanas publicas, perque Eruditorum Societates circumduceret, indigaret, et domum reduceret.

Quid? quod ipsemet etiam saepius exquiverit, et praebuisset legendos, mihi antea ignotos, Scriptores tales varii idiomatis, qui de Valachis quidpiam memoriae prodiderunt. Adhibuit me quoque saepius hospitali Mensae suae, quae cum domesticis, tum exteris etiam Eruditis referta erat, et ex horum doctissimis sermocinationibus, ac disputationibus nimio opere in Historia, aliisque Scientiis profeci. Facultas legendi Libros prohibitos, sequentis tenoris Scripto fuit mihi adtributa.

Ex Audientia SSmi Dni Nri PII PP. VI
habita die 20. Februarii 1780.

SSmus me infrascripto, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario referente, benigne concessit GEORGIO GABRIELI SINKAI Ordinis S. Basilii M. facultatem retinendi omnes, et quoscunque damnatorum Auctorum, etiam Haeticorum, prohibitos Libros, quos secreto, et sub clave teneat, ne ad aliorum manus deveniant; idque indulgit, quoad ipse Orator vixerit. Datum Romae ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis die, et anno quibus supra

(LS)

Stephanus Borgia
Secret. m. p.

(12) Roma redux Viennae in Austria iussus sum subsistere, et ingredi Generale Graeco Catholicum ad S. Barbaram Seminarium, altero socio inde paulo post Balasfalvam revocato; remanente tamen ibidem adhuc A. R. ac Cl. D. SAMUELE KLEIN de Szád, mihi coniunctissimo populari. — Doleo, mirorque vehementer, tam omnibus scientiis, et litteris abundanter ornatum, et singularibus editis operibus conspicuum Virum, ab iis domesticis



Scriptoribus, qui Hungariae, et Transilvanise Historiam Litterariam ex professo scripsere, Biographiasque Patriae Eruditorum vulgavere, alto silentio haecenus praeteritum esse; quasi vero iam Graeco-Catholici homines ne sapere quidem possent, aut vellent; ac in censum litteratorum hominum in Patria venirequirent! quos inter tamen frequentes sunt, qui Litteris serio, intimeque dediti, etiam arctissimas inter rei familiaris angustias, Ingenia sua percolere non desunt. Hinc temperare mihi nequeo, quin ea studiosissimi huius familiaris mei, quae mihi nota sunt, nominatiora vitae adiuncta, meritaque litteraria, paucis hicce non perstringam.

Editus est is in lucem in Saxonicalis Sedis Cibiniensis pago Szád Anno 1745; unde etiam axioma suum nobilitate trahit. Impetravit autem a Carolo III. Hungariae Rege Nobilitatem familiaris suae patruus IOANNES Liber Baro KLEIN, Episcopus Fogarasiensis. Humaniora, aliaque inferiora studia terminavit Balasfalvae. Inde Viennam missus ad Collegium Pazmanianum ibidem in Universitate Scientiis philosophicis, et theologis sese expolivit, quibus solide, cumulateque imbutus, meruit promoveri pro Praefecto Studiorum ad supra memoratum Generale Graeco-Catholicum S. Barbarae Seminarium, quo in mune re constitutus, edidit praecellentes illas duas *Dissertationes* latinas, quae illi magnam aestimationem, honoremque peperere. Prima erat: *Dissertatio Canonica de Matrimonio iuxta disciplinam Graecae Orientalis Ecclesiae*. Vindobonae 1781. Secunda: *Dissertatio de Ieiuniis Graecae Orientalis Ecclesiae* ibidem 1782. — Insuper prius iam typis credita erant ab illo: *Elementa Linguae Duco-Romanae. sive Valachicae a me locupletata &c.* ibidem 1780. — Vienna post plures annos Balasfalvam in Transilvaniam reversus, ab ATHANASIO REDNIK Episcopo creatus fuit iuxta ti-



tum Orientalis Ecclesiae Magni Ecclesiarcha. Nunc a longiori tempore post diversa, laudabiliter ab se administrata publica munia; agit in Cathedrali Ecclesia Concionatorem Episcopalem. Superioribus annis totam *Sacram utriusque Testamenti Scripturam* in Valachicum Sermonem convertit, eamque typis etiam Balasfalvenibus feliciter in folio exscribi fecit, quibus perinde valde a se elucubratum eodem sermone *Moralis Theologiae* Volumen in 4-to excudi procuravit. Omnes bonae frugis Libri latini, et Valachici, qui inde circiter a duobus decenniis ex Balasfalvensi Typographia in lucem prodierunt, illum fautorem, obstetricatorem, correctorem, promotoremque agnoscunt. Habet plures quoque Valachice a se dictas *Conciones* impressas; nonnullas etiam ineditas. Eadem lingua concionatam ab se *Logicam*, *Ethicam*, et *Ius Naturae* separatim evulgavit. — Sequuntur iam nunc Lucubrationes Eius, nondum editae, perfectae tamen, et absolutae ita, ut si typorum favor suffragaretur, confestim publici possent fieri iuris. Et quidem sequenti, ut sunt elaboratae, ordine:

1-0) *Brevis Notitia Historiae Valachorum ab origine gentis usque Seculum XVIII.*

2-0) *Dissertatio de Statu, et Politia Religiosorum, et Monachorum Orientalis Ecclesiae.*

Utrumque Opus latino idiomate est exaratum.

3-0) *Dictionarium Latino-Valachico-Hungarico Germanicum.* — iam expetitur ad typos a Typographia Universitatis Pestanae Budensi! — cetera, quae sequuntur, Valachica sunt exarata lingua.

4-0) *Historia Valachorum, Transilvanorum, Transalpinorum, et Moldavorum cum rebus gestis Principum.*

5-0) *Historia Ecclesiastica Valachorum Transilvanorum.*

6-0) *Historia Concilii Florentini.*

7-0) *Praxis Confessorialis.*

8-0) *Historia Ecclesiastica Universalis compendiose.*

Sequentia autem partim Latina, partim Graeca, et Gallica aliorum Opera, versa sunt per illum in Valachicum:

9-0) *Marmontelii Belizcrius.*

10-0) *Luciani de veris Narrationibus.*

11-0) *Fleurii Abbatis Historiae Ecclesiasticae Secula priora IV.*

12-0) *Segneri Instructio Poenitentis.*

13-0) *Thomas a Kempis.*

14-0) *S. Basilii M. Homiliae, et Ascetica.*

15-0) *S. Cyrilli Hierosolymitani Opera omnia.*

16-0) *S. Dorothei Opera omnia.*

17-0) *S. Bachonii Opera omnia.*

18-0) *S. Ioannis Chrysostomi in Evangelium S. Ioannis Homiliae LXXXVIII. et aliae Homiliae.*

19-0) *S. Gregorii Nazianzeni aliquot Homiliae.*

20-0) *S. Damasceni Historia Iosaphat, et Barlaam, et de Orthodoxa Fide Libri duo priores.*

21-0) *SS. Epiphanii, Anastasii, Ephrem, et Damasceni aliquot Homiliae.*

22-0) *S. Climaci Liber ad Pastorem, et aliquot Sermones.*

Denique proprio Marte adparatus:

23-0) *Peculiaris Tractatus Philosophico-Theologicus de Revelata Religione Christiana.*

Et haec ecce! ingenii, industriaeque monumenta unius sunt Graeco-Catholici hominis. Quid non, si in plurium, latere volentium, conatus, operasque doctas inquireremus? pretiosi iterum, utilis, et admirandi detegeremus? Oggerat iam nunc quispiam effrons calumniator Monachos, aliosque Ritus nostri, et Gentis nostrae homines rudes, idiotas, otiosos, ignavos, hebetes, et inidoneos esse colendis Bonis Artibus, et Scientiis!! — — et ideo indignos aestimatione, favore, et gratia Regis, Procerum, et Patriae!! — —

(13) Methodum Scholas Vernaculas Nationales, (a nova rectiore, politioreque Norma Normales etiam dictas) docendi, et regendi, Viennae didici, super quo studio meo tale obtinui Testimonium:

Endes unterschriebener bezeuge hiemit, das der Wohlehrwürdige Herr, GEORGIUS GABRIEL SINKAL, Basilianer aus der Fogaratienser Dioeces, nicht nur den Vorlesungen, welche in der hiesigen kaiserlichen königlichen Normalschule bei St. Anna über die Katechetik, und Methode sind gehalten worden, sehr fleißig beigewohnt, sondern derselbe hat sich auch bei dem mit ihm vorgenommenen Examen gezeuget, das er dasjenige verstehe um das Amt eines Katecheten mit Nutzen zu bekleiden, und nach der kaiserlichen königlichen Schulverordnung vorgeschriebenen Lehrart zu Katechisiren. Zu Urkund dessen ist ihm gegenwärtiges Zeugniß unter der gewöhnlichen Fertigung ertheilet worden. Wien den 2. März 1780.

L. I. r. Felbiger. (LS)



(14) Ibidem eodem tempore operam dedi Iuri Naturae, Publico Universali, Gentium, et Ecclesiastico. Ex deperditis Testimoniis reliquis, unicum sequens adhuc nuper adveni, quod ita sonat:

Qui subscripsi Praesentia, iisdem fidem facio, Reverendum, ac Doctissimum Dominum, GABRIELEM SINKAI, Collegii Graeci Convictorem, in primo ex Institutionibus Iuris Ecclesiastici Publici instituto Semestri Examine ea haustae Doctrinae Specimina dedisse, ut Eminentiae Notam, Laudemque fuerit promeritus. Quod igitur Testimonium pro facta mihi Potestate dabam Viennae die 15-ta Martii 1780.

(LS) Ios. Pehem m. p. I. V. D. S. C. R. A. M. a Consilii Regiminis, et Iuris Ecclesiastici Professor publ. ord.

(15) Celebris Scriptor, et Rerum Hungaricarum Collector, DANIEL CORNIDES, ipsemet me, praeter omnem spem, et opinionem meam, Viennae primum accessit, et saepius dein invisit, cui posteaquam omnia mea Manuscripta noscenda exhibuissem, maxime iis afficiebatur, quae de Cumania quaedam illi vetustissima communicaveram. Atque abinde talis inter nos exorta est familiaritas, qualem non nisi praecox eius obitus solum dissolvere poterat. Iuvit ille vicissim me subministratis variis rarioribus pro Lectione Libris, et Manuscriptis suis.

(16) Perinde de illustrata eruditissimis Commentariis suis universa Transylvania optime meritus, nobilissimus Historiographus, IOSEPHUS BENKO, multum me litterariis suis adminiculis adiuvit, donec ob amplissima sua Merita propter brutalem furorem, et invidiam eorum, qui de Publi-



co bene mereri studentes, cane peius, et angue detestantur, pari mecum fato, et calamitati involutus non fuisset! —

(17) Fuit quoque Viennae peculiaris meus Fautor, Protector, et Patronus Excell. D. IOSEPHUS GARAMPI, Archiepiscopus, Episcopus Montis Falisci, et Corneti, apud Augustissimam Caesareo-Regiam Aulam Vindobonensem eorum Nuncius Apostolicus, mihi summa cum indulgentia, et benignitate liberum quovis tempore accessum praebens ad *Bibliothecam Nunciaturae Apostolicae*, imo ipse ultro excutiens ad locum meum, et materiam pertinentes Libros, et Manuscripta, eorumque liberrimam mihi concedens descriptionem, et usum.

(18) Excell. Ill. ac RR. D. IGNATIUS DARABANT, hodiernus Graeco Catholicus Episcopus Magna-Varadinensis, tunc Monasterii Balasfalvensis SS. Trinitatis Ordinis S. Basilii M. Praepositus, Episcopi Fogaraliensis Vicarius Generalis, et Causarum Auditor Generalis, pater, et nutritus meus dulcissimus, sua auctoritate, et iudicio effecit, ut Romam Anno 1774. mitterer pro altioribus studiis; qui inde reversum me benignissime semper tractavit, et protexit, quin postea etiam, ubi nuncium vitae monasticae milissem, constanti me gratia, auxilio, patrocinioque ad haec usque tempora fovere dignatus est. Atque, ut cetera magna, et singularia in me eius beneficia nunc non attigam, dum munere Directoris innocenter exutus, aliisque gravioribus iniuriis lacesitus, et pluribus calamitatibus insons ob publica commoda per me fideliter promota, exagitatus fuisset, tunc me querelas meas iustissimas Throno Regio subferre meditantem, et ob id Viennam A. 1796. ascendentem, non exoratus viginti Aureis inopem peregrinum sponte sua donavit! Haec, haec est vera Christiana, et Apostolica Charitas! succur-

rere afflictis, et derelictis eo, quo maxime egent, tempore. Tales ipse etiam Deus hilares Donorum datores diligit, et remuneratur; qui ut cenduplum Eidem pro me, aliisque retribuatur, dum vivam, exorare gratus, piusque non desinam.

- (19) *Prima Principia Latinae Grammaticae ad usum Scholarum Valachico-Nationalium quibus propter maiorem incipientium Puerorum facilitatem adiecta est Valachica Lingva. Balasfalvae typis Seminarii Dioecessani 1783. 8 vo pag. 184.* Eadem Hungarice, et Germanice separatim ibidem edi curavi, adiecta Valachica ubique Lingua.
- (20) *Grammaticam Valachicam, supra sub Nro 13. o reductam, a V. Cl. Samuele Klela compositam, additis novis pluribus Regulis, et Observationibus adauxi, in meliorem ordinem redegi, et Dialogis aliquot locupletavi, ac tandem communibus meis, illius, et aliorum Seminarii S. Barbarae Alumnorum expensis typis etiam excudi curavi.*
- (21) *Alphabeta Normatica duo edidi, unum in Primariae Scholae Balasfalvensis, aliud vero in usum ceterarum Trivialium Transilvaniae Scholarum. Prius quatuor Linguis, utpote Latinae, Hungaricae, Germanicae, et Valachicae Litteris constabat: posterius solum Characteres Valachicos exhibebat. Utrobique Tabellae de Litteris, Syllabizatione, et Lectione ad amulsim exactae continebantur.*
- (22) *Pie defunctus III, ac RR. D. Episcopus Fogarasiensis, PETRUS PAULUS ARON de BISZTRA, circa A. 1757. duos edidit Catechismos. Ex his, Lingua Latina compositus, erat fufior, adeoque Clero Iuniori potius, quam Adolescentiae scholasticae destinatus. Alter rursus idioma Valachico conscriptus, admodum brevis, et compendiosus, minus idoneus repertus est pro novis Scholis Normalibus Valachicis, Espropter illius sum talem novam Catechismum concionare, qui omnimode conformis esset recenti Normalium Schola-*

rum docendi Methodo; qualem etiam illico adparavi, et qui nunc non tantum in hisce Scholis ubique praelegitur, verum ab iis etiam Clericis assidue teritur, qui Sacerdotio initiandi prius ex Doctrina Christiana ante susceptos ordines rigorosum subire debent Examen. Parochis etiam est magno subsidio, dum passim ex eo non sponso, et sponsas ante initum Matrimonii Sacramentum instituunt, et examinant.

(23) *Arithmetica Valachicam, quantum scio, ante me nemo in lucem protulit. Hanc ego systematice deduxi, et captui puerorum facillima, et clarissima methodo proposui.*

(24) *Duodecim annorum spatio, quibus regundis per Magnum Transilvaniae Principatum Scholis Trivialibus Valachicis praefui, nunquam ab iis visitandis, emendandis, augendis, firmandisque desisti. Nec intermissae curae meae, et conatus suo caruere successu. Etenim me urgente, et agente ad tercentas usque excrevere, Salarium meum ordinarium erant universim Rhsflorenci 300. In Visitaciones tamen angustas harum Scholarum factae itineris Expensae titulo Diurnorum refundebantur mihi e communi Nationalium Scholarum fundo Regnante Augg. IOSEPHO II. Imp. et Rege Apost. ter successive omnes, et singulas Valachicas Scholas Nationales adactus sum visitare, et de earum statu, progressu, ac institutionibus officiosam praesentare Informationem. Quid denique pro harum incremento, stabilitate, et flore praesliterim, duo sequentia attestabuntur Documenta.*

Primum est Supremi Inspectoris omnium in Transilvania Nationalium et Romano- et Graeco-Catholicarum Scholarum sequens:

Exhibitorum praesentium, Dominum *Georgium Sinkai*, Scholarum Nationalium Graeci Ritus unitarum Directorem, a tempore, quo



hocce Scholarum Institutum viget, omnibus Officii sui partibus non minori studio, quam dexteritate satisfecisse omnibusque viribus adlaborasse, ut inter suae Nationis Iuventutem Ingenii, Morumque Cultura, sanioresque de Officiis civis Notiones propagentur, requisitus adrestor. Cibinii die 19. Augusti 1792,

I. Lethenfeld m. p.
(LS) Scholarum Nationalium
primarius Inspector.

Secundum est Cleri Graeco-Catholici Dioecelani Fogarasiensis tale:

Nos almae Dioeceseos Fogarasiensis Archidiaconi Graeco-Catholici ubi convenissemus ad praestandum Sacratissimo Imperatori, et Principi, Domino FRANCISCO II. Domino Nostro Clementissimo, Fidelitatis Homagium, Generosus *Georgius Sinkai*, Scholarum Nationalium Graeco-Catholicarum in Magno hoc Transilvaniae Principatu Director, Nos demisse requisivit, ut sibi Testimonium quoddam super Meritis, quae in erigendo, dirigendoque Scholas posuit, benevole impertiremur; cuius petitioni deferentes testamur, eum iam inde ab exordio erectarum in hac Dioecesi Scholarum Nationalium sedulo adlaborasse, ut Litteratura, Ingeniique Cultura, in Iuventute magis, ac magis plantetur, et propagetur, et quo scopum hunc adsequatur, praeter quod Candidatos ad Magisterium omni cum Sedulitate instruxerit, Scholas quoque dum, et quando ab Excelso Regio Gubernio iussus est, ita vixisse, ut nullis un-



quam Fatigis, quid quod saepe ne propriae quidem Valetudini pepercerit.

Quo vero Zelum hunc suum in Emolumentum Nationis, et Publici magis contestaretur, complures Libellos Normales in publicam Iuventutis utilitatem partim ex germanico idiomate in Valachicum vertisse, partim proprio favore, ac labore in lucem publicam edidisse. Cuius Zelum, seduloque impensum in publicum Iuventutis Scholasticae Emolumentum Laborem condigne respicientes, dignum eum censemus, quo Fatigiorum suorum pro Publico exantlatorum Meritum in condignam Reflexionem sumatur, et eorum, quorum opera in promovenda sua Fortuna uti vellet, singularem Recommendationem praesentis Testimonii Nostri vigore promereatur. Dabatur e Congregatione Dioecesanorum Archidiaconorum Balasfalvae 18-va Xbris 1792.

(LS) Per
Demetrium Káján m. p.
Notarium Generalem Cleri
Graeco-Catholici Fogarasiensis.

(24) Ab obitu Augg. IOSEPHI II. audaciores rediti hostes Nationalium Scholarum, per diversos occultos gyros me eousque insontem suffodiunt, donec etiam ceu petenciosorum quorundam effectorum Germanicorum principiorum falso actum reum praegesto Directoris mittere non exuerunt. Sic a Fortuna fere derelectus, retraxi me sub alas faventissimi mihi Transilvaniae Magnatis, Ill. D. *Dunbels* Comitis *Vass de Czego*. Camerarii Regii, Consortisque eius Ill. D. *Clarae*



Szerentsi. In aula eorum integro sexennio moratus, tres eorumdem filios Comites, *Thomam, Ioannem, et Georgium*, e quibus Transilvania magna speranda habet fulera, Bonis Artibus, et Scientiis instituti; praeterea in Bonis illorum Oeconomiae curam gessi, et ab Officialibus rationes exegi: quibus rebus factum est, ut studia mea privata seponere, culturamque mei litterariam tantisper negligere debuerim.

(25) *Historiae Daco Romanae, sive Valachicae* tantis a me olim curis, studiis, vigiliis, adparatibusque consignatae, oblivisci non poteram. Ac ideo ubi nominatorum trium juvenum Comitum sexennalem Educationem, Institutionemque terminassem, gratiis solennibus actis, Aulam eorum deserui, meque in Hungariam Magno Varadinum contuli; inde opportunam adoperiens occasione Pestinum, Budamque petendi, ibique pro eiusdem plenitudine, et perfectione tam ex *Grammatophylacio Diplomatico-Historico Kovachichiano Budensi*, quam et ex *Pestana Regnicolari Bibliotheca Széchényiana*, si quae forte adhuc bona fortuna nauicisci possem, comparandi Subsidia, Additamenta. Ut hactenus vero a me ea est condita, tria iam vastissima, aliquot centenas phyllas complexa, explet in folio Volumina.

(24) Magno Varadinum adveniens a veterano Patrone, et Protectore meo, Excell. D. Praesule IGNATIO DARABANTH admodum grato, benignoque sum exceptus animo: hospitali eius Mensae quotidie adsidere iussus, hospitium illico accepi in eius Tusculano suburbano amoenissimo, unde hancce scribo Elegiam.

(23) Post depromptum meum Suae Episcopali Excellentiae humillimum Obsequiosum Cultum, sacraeque Dexteratae desixum Osculum, princeps cura fuit mihi, et obligatio RR. DD. Graeco-Catholicos Canonicos salutandi, quos omnes incolumes, mihi, ut olim, ita nunc addictissimos compe-



ri; quin, quod gratus, observansque debita cum gratitudine, et gratiarum actione recolere debeo, ex iis nonnulli, utpote: RR. DD. *Samuel Vulcan, Iosephus Szilgyi, Simeon Bran, Ioannes Kornoli, et Nicolaus Vitex*, me postea Budam abeuntem gratuitis pecuniariis Donis una cum laudato munificentissimo Praesule suo liberaliter sublevarunt, et refoverunt. Hic trimestre fere exigens, dum curiosus in nostrorum hominum Occupationes litterarias inquirerem, en! laetus comperi RR. D. SAMUELEM VULCAN, Lectorem, et Canonicum, ac Vicarium in Spiritualibus Episcopalem, et Causarum Auditorem Generalem, Virum omnigena Eruditione Ornatissimum, et Humanissimum, habere ad typos paratum unum *Volumen* elaboratissimarum *Dogmatico-Moralium Concionum Valachicarum*. — Saepius invisi RR. D. GEORGIUM FARKAS, Archi-Presbyterum, seu Praepositum Maiorem, et Canonicum, eundemque semper legentem, scribentemque deprehendi. Quaecebam, cui rei operam daret? reposuit se nunc distineri concinnando lingua Valachica in usum Parochorum *Davidicorum*. Tum in medium depromit reliqua Opera sua iam perfecta, typos praestolantia, quae sunt sequentia:

1-0) *Universa Veteris, et Novi Testamenti Historia Ecclesiastica, inde a Creatione Mundi, usque exitum Seculi XVIII. inclusive.* Vasta duo Volumina in folio. Opus Originale Valachicum.

2-0) *Commentarius in totum Novum Testamentum pro usu Parochorum.* Opus aequè Valachicum, vastum Volumen in folio, ex optimis, probatissimisque Interpretibus conflatum.

3-0) *Dissertatio latina de Cyclo Paschali, in qua, praeter multa alia perquam utilia, et*

critica decisa, ostenditur, evinciturque Calendarium Gregorianum rationabiliter praeferi debere Iuliano. Opusculum in Mss-to XII. Constant. philiris.

iam, quae, quaeso, his aptiora, meliora, salubriora, et efficaciora esse possunt Praefidia Clerum, Populumque Valachicum desertum, et in cultum desideratis opportunis Humanitatis, et Christianitatis Principiis, Dogmatibusque imbuendi, percolendi, et poltiorum reddendi? si illa typis publicis excuderentur, et legenda, usurpandaque utriusque benefici concederentur!! — An non sacra etiam *Unio* opus acceleraretur Lectione horum subsecuta convictis de Veritate tot millium Rudium Animis!! — Librorum Lectio certissimum exsistit semper propagandae, conservandaeque Religionis Admniculum!! —

(16) Oremus eius visendae, consulendaeque mihi iam dudum moverunt Celberrimi *Martini Georgii Kovachich Vestigia Comitiorum, apud Hungaros ab exordio Regni eorum in Pannonia usque ad hodiernum Diem celebratorum.* Budae 1790. in quibus pag. 500. recitantur eousque ineditae *Ludovici II. Hung. Regis Regales, ad Ioannem de Zapolya, Transilvaniae Valvodam* Buda A. 1518. datae. ex huius Eruditissimi, mihiq; Amicissimi Viri *Rerum Hungaricarum Rariorum Collectione* exscriptae.

(27) Ex supra laudato RR. D. *Samuuele Vulcan,* qui tunc *Leopoli* in Regio Generali Graeco-Catholico Seminario Vice-Rectoris munere defungebatur, intellexi cum A. 1789. pro quadam Altiorem Studiorum Cathedra *Zamosciensi* in Universitate *Leopoliensi* Concursum Litterarium summa cum adprobatione, et applausu perfecisse.

His Nobis amplificatam, ditatamque ad me misit hancce Elegiam doctissimus *SINKAIUS,* quarum haec omnium postrema cum mihi non sa-

tis dilucida visa fuisset, petii rem hanc totam clarius, apertiusque mihi exponi ab ipso svaivissimo Familiari meo, *CI. MICHAELLE TERTINA,* a quo tale accepi, ut sequitur, Responsum:

Ita est, Amice! ego, terminato in *Universitate* nostra *Pestana* universae Theologiae *Cursu,* Mense Maio Anni 1789. in Regia Scientiarum *Universitate Leopolitana,* quae in Regno *Galliciae,* iuribus Hungaricae Coronae obnoxio, floret, pro *Aestheticae, et Philologiae* Cathedra nova, quam in Regium *Zamosciense* Lyceum assuturo *Ischolaistico* Anno inducendam Augg. *IOSEPHUS II. Imp. et Rex* Apost. clementer decreverat, Concursum Litterarium, seu *Examen Rigororum* tam scripto, quam oretenus coram universa Facultate Philosophica adeo feliciter subivi, ut tam ab Ea, quam et *Excelso* Gubernio Galliciano prae omnibus aliis concurrentibus *Corrivalibus* primo reliquos inter *Candidatos* loco, accedente peculiari utriusque *Commendatione,* (uti *Excelsae* Caerco-Regiae *Aulicae* Studiorum *Commissionis* *Viennensis,* *Suae* *Sacratissimae* *Majestati* pro *Confirmatione* exhibita, *Acta* *commonstrantur*) proponi, praefereuterque *commendari* meruerim. *Votique* damnatus tunc omnimode fuisset, nisi propter alias quoque novas *Cathedras,* et reliquas recentes litterarias *Destinationes,* in illud idem *Lyceum* simul inducendas, longius protracta, huius quoque *Cathedrae* *Inauguratio,* iunctim una retardata exsistisset usque insperatam repentinam *luctuosissimam* *praeclaudati* *Monarchae* *Mortem,* qua subsecuta, et huius, et aliarum decretarum plurium novarum *Cathedarum* *Inductio* penitus dein emanavit, restricto et triennio ad biennium in eodem Regio *Zamosciensi* *Lyceoo* totius *Philosophiae* *Cursu* more *Academiarum* *Hungaricarum.* Et haec illa sperata, assecurataque etiam *Promotio* mea fuerat, cuius didita per *Patriam* fama *Amicus* meus dulcissimus, *Barotienfis* *DAVID*



SZABO, tunc in Regiae Cassoviensis Academiae Archi-Gymnasio Humaniorum Litterarum Professor Primarius, mihi solenni Hungarico de hac Fortuna adplausit Carmine, quod *Operum eius Poeticorum Hungaricorum, Comaromit A. 1802. impressorum, Tomulo III. pag. 146.* legi potest, Idem egit Celeberrimus, meique amantissimus, IOANNES CHRYSOSTOMUS HANNULIK, qui laetabunda et congratulatoria Senla sua elegantia explicuit Oda, quae in novis Eius *Lyricorum Libris*, qui hic proxime sub prelo sudabunt, suo loco lucem videbit publicam. Super memorato autem Concursu Litterario, seu Examine Rigoroso ab eadem Inclita Facultate Philosophica *Leopoliensi*, eiusdem maiori Sigillo munitum, tale, postmodum pro perenni memoria expetitum, adeptus sum Testimonium:

Endes gefertigter bezeuge, daß Herr *Michael Tertina* dem im Maii des 1789 Jahres aus den schönen Wissenschaften an hiesiger Universität abgehaltenen Konkurse sich unterzogen, und seiner Gründlichkeit, Deutlichkeit, Vollständigkeit, Ordnung, Belesenheit, seines vortrefflichen Aufsazes, und bewunderswürdigen Gedächtnisses, seiner Erudition, und großen Reichthumes an Quellen, erstaunlichen Bücherkenntniß, und überhaupt seltner soliden Kenntnisse wegen, wie die bei der Fakultät vorfindigen Note den Herrn Professoren, voraus dieses Zeugnis wörtlich ge-



nomenen ist, ausweisen, aller Anempfehlung, und alles Beifalles werth geachtet worden. Lemberg den 11. März 1790.

(LS) HANN, der Weltweisheit Doktor, der schönen Wissenschaften öf. ord. Lehrer, und der Philosoph. Fakultät zeit. Dekan, und Direktor. m. p.

Præsentem Copiam suo Originali in omnibus conformem esse testor. Signat. M-Varadini 1-a Novembris 1803.

(LS) Lucas Mitsky m. p.
Regiae Districtualis Studiorum
Directionis M-Varadinensis A-
ctuarius.